

CVIII. De vulpe. Vulpes, ut dicit Ysidorus, animal dolosum est valde. Colore admodum rubea est, cauda villosa et magna. Experimentator: Cum eam canis insequitur assecutamque nititur apprehendere, vulpes villosam caudam suam per ora illius insequentis trahit sicque deludit canem, quousque silvorum condensa possit attingere. Refert beatus Ambrosius, quod vulpis immidente periculo mortis pinum arborem petit et lacrimam succumque, qui fluit de pino, sumit in cibum; et sic recuperat sanitatem et evum vite protendit in longum.

Vulpis diebus canicularibus quandoque ita graviter languet, quod fugere non potest; et tunc in fovearum abditis latet conscius naturaliter impotentie sue.

Habent enim in terra foveas ad tutamen, sed plerumque capiuntur in hiis. Nam venatores ubi ipsas delitescere noverint in foveis, parvos catulos arte doctos inmittunt, qui penetrantes fovee summitatem, in qua iacent, eas latratu produnt. Ibi de contra fodientes venatores iacentem attingunt et capiunt. Dicit Experimentator, quod vulpes in fodientis foveis non laborat, sed bestia quedam, quam daxum dicimus; daxus enim cum foveam in terram foderit ad quietem, vulpes dolosa in ingressu fovee ventrem suum stercoribus exonerat, ut fetore digestionis putride fovea polluta vilescat. Et re vera daxus bestia fetorem digesti stercoris ab hominabiliter detestatur locumque dimittit; et sic dolosa bestia locum possidet. Dicit Experimentator, quod vulpes os fetidum habet et fetidus etiam est a parte posteriori. Maxime domesticis insidiatur.

Fel eius aures sanat et oculos. Auribus et podagricis prodest adeps. Pellicula circumvoluta pedi podagrico sanat, cute intus versa. Iecur eius assum et cum vino bibitum yliacam passionem sanat. Cor eius valet fluxui sanguinis; iecur similiter. Cerebrum eius infantibus datum sepe ab epilenta perpetua liberat. Sepum eius vel adeps omnibus doloribus membrorum valet. Splen quoque bibitum contracta membra resolvit.

Carnes vulpis si comburantur, pulvis earum valet asmaticis cum vino sumptus. Sagimen adipis eius multum confert doloribus aurium. Si amigdalas vulpes comederit, mori dicitur. Calefactionem epatis patitur tempore estivali, unde sanguis fluens ad exteriora eum relevat et ulceratur cutis eius, et per hoc cadunt pili de corpore eius, sicut dicit Constantinus in Viatico. Leporem venatur et primo quidem ludit cum ipso, deinde dentibus eum attemptat, et nisi lepus effugerit sola celeritate, ab illo capitur. Nonnulli vero ex leporibus assuefacti malitia vulpis fugiunt ludum illius et appropinquationem illius timent ut inimici. Dicunt autem vulpem lacus gelatos transituram aure ad glaciem apposita coniectare spissitudinem gelu nec transire audere glaciem, nisi sufficienter fortis invenerit. Plinius: Vulpes in fame pre angustia latratus canum dicitur imitari. Hec etiam cum esurit nec invenit, quod manducet, fingit se mortuam et resupina flatum attrahit lingua protracta. Tunc aves incaute quasi ad cadaver descendentes aperto ore suo rapit et devorat. Vulpes anfractuosis fertur discursibus, ne a venatoribus eius vestigia percipientur. Est enim vulpis dicta quasi

volupis, quia est volubilis pedibus et nunquam recto itinere currit. Vulpes in
 45 latera proiecte maremque femina amplexante coeunt. Virga vulpis ex osse est
 interius.

CIX. De vario. Varius bestia est parva, paulo amplior quam mustela. A re nomen habet: in ventre enim candidus est, in dorso habet colorem cinereum ita elegantem, ut mireris bestiam sui creatione spectabilem. *¶* De genere piroli est. In arboribus habitat et fetus facit. Harum bestiarum pellibus in ornatu
 5 vestium et maxime in palliis gloriari solent homines utriusque sexus. Et quidem cum glorietur homo pelle aliena et naturaliter non sua, ipsa tamen bestia in pelle propria minime gloriatur. In quo nobis datur intelligi, quod in nostris non debemus bonis actibus gloriari, *¶* maxime cum dominus dicat: *Sine me nichil potestis facere*.

CX. De zubrone. Zubrones bestie ferocissime sunt et sunt de genere tau- rorum silvestrium. Bestia maxima est utpote ad longitudinem quindecim cubitorum. Pilos subnigros habet. Cornua maxima cubitorum trium et magna am- plaque supra modum adeo, ut ad mensas divitum potuum gerula fiant. Summe
 5 celeritatis sunt; falsoque obtinuerunt in illis regionibus a Latinis nomen tygris, et hoc propter velocitatem. Errant enim qui hoc dicunt, quia tygris bestia satis modica et velocissima est orientem inhabitans. Hec vero in Boemia reperitur. Zubrones, ut dictum est, animalia maxima sunt et tante velocitatis, ut sterlus, quod cum impetu egerunt, retroacti in cornibus recipiunt atque longius post
 10 terga proiciunt. Egesto largissime hoc stercore persequentes canes excecat atque debilitat et penitus inutiles reddit. Cum hominem aut canem obvium habuerit, eum sustollit in cornibus et tam diu in altum proicit et iterum in cornibus recipit, donec penitus interimat conquassatum. Hoc astu a venatore decipitur, nec est alia ars venandi, qua de facili capi possit: lassato primitus zubrone a canibus
 15 et venatoribus venator cum spiculo opponit se ei circa arborem magne molis. Quem ut videt zubro, accurrit ad arborem et fronte cornibusque cingens illam putat stolidus, quod venatorem possit obruere. Quod cum non possit et venator arbore semper protegitur, interim venator cuspidate latera luctantis perforat et deicit sapientia humanis viribus invincibilem. Aliud zubronum genus est, quod
 20 Poloni thurones dicunt. Forma minus est, sed velocitate prestantius.

CXI. De zybonibus. Zybo animal est crudele nimium in mortem hominum et bestiarum. Quantitatem lupi habet. In collo eius pili sunt sicut equorum pili, et habet pilos fortes super omnia spondilia. Voces hominum imitatur et hiis plerumque vocibus deludit homines eius malitiam ignorantes. Delitescens enim
 5 in abditis silvarum vocabulo aliquo eductus sollicitat homines transeuntes, quos ut prope venerint depredatur. Sepulchra etiam mortuorum ingreditur et ibi ca- daverum spurciis delectatur. Carnibus enim humanis libenter vescitur. Canes etiam hoc modo deludit: latratus eorum imitatur, et cum eum canes audierint,